



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. 2. De dispositione Suscipientis Baptismum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

## §. 2. De dispositione suscipientis Baptismum.

1. **A**D valorem baptismi non requiritur fides, aut alia bona dispositio suscipientis, sed sufficit libera voluntas, quamvis habita ob perversum finem. Quia conveniens fuit Sacramentum hoc ita à Christo institui, ut quantum moraliter fieri posset, sciretur utrum homo suscipisset Sacramentum, quod non fieret, si multum dependeret ab interna dispositione.

2. Ad obtinendam tamen gratiam sanctificantem in Baptismo requiritur bona suscipientis adulti dispositio, conveniens sanctitati Sacramenti quod suscipitur, quia Sancta Sanctè tractari debent. Et quidem ad Baptismum in adultis requiritur fides supernaturalis, tanquam fundamentum justitiæ Christianæ; deinde poenitentia, ut colligitur Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum.* Et Marc. ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

3. Verumtamen opus non est ut contritio hominis baptizandi perfecta sit, sed sufficit attritio ex supernaturali motivo concepta. Est enim hoc Sacramentum per se institutum ut hominem justificet.

4. Peccata ante Baptismum commissa non sunt materia absolutionis post Baptismum conferendæ. Quia potestas clavium non extendit se nisi ad subiectos jurisdictioni Ecclesiasticæ, & respectu eorum actuum, qui tempore jurisdictionis committuntur; soli autem baptizati sunt subditi Ecclesiæ. Ac proindè ab adulto baptizando nulla peccatorum Confessio Sacramentalis exigenda debet.

5. Extra casum necessitatis non debet Baptismus

*Pars 1. tract. 4. cap. 2. De Sacram. Baptismi. 335*  
mus sine solemnitatibus conferri, etiamsi per  
unum aut alterum mensē expectandum sit, v.g.  
dum Patrini adveniant: habenda interim est  
cura, ne infans sine Baptismo decedat. Quod si  
infans, ob periculum mortis, sine solemnitatibus  
& ceremonijs baptizatus fuerit, solent illæ po-  
stēa suppleri.

¶ 3. *De Ministro Baptismi.*

1. **Q**uivis homo ratione præditus validè bap-  
tizat. Nititur hæc assertio institutione  
Christi, quam usus Ecclesiæ, & traditio osten-  
dit. Ratio verò institutionis est summa Baptismi  
necessitas.

2. Peccat graviter extra necessitatem bap-  
tizans, cui id de jure & ex officio non competit.  
Peccat itidem ille, cui jure & ex officio compe-  
tit baptizare, si extra necessitatem non solemniter  
baptizet, nam Canones ob honorem Sacra-  
menti severè præcipiunt, ut Sacerdos solemniter  
in Ecclesia baptizet; nisi tamen obstat alicu-  
jus personæ infamia, aut damnum notabile inde  
secuturum.

3. Parentes graviter peccant, qui offerunt pro-  
lem baptizandam alieno Parocho, sine licentia  
proprij. Quia Ecclesiæ ordinationi cum viola-  
tione alieni juris adversantur. Nisi constet spe-  
ciale privilegium intervenire.

4. In casu necessitatis hic ordo observandus  
est; ut præsentē Sacerdote aut Episcopo non  
baptizet Diaconus; præsentē Diacono non  
baptizet Clericus inferior; præsentē Clerico  
non Laicus; præsentē viro non femina; denique  
præsentē fideli non hæreticus aut infidelis. Etsi  
hic ordo pervertatur, ita ut præsentē Sacerdote  
alius